



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**


**Parisiis, 1679**

II. Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

*tores & agricolas.* Hæc quantumvis *obscura* facile conciliabimus, si meminerimus auctorum locutiones non esse interpretandas ad verbum, neque ad vivum refecandas: nam quamvis conflagrasse dicatur Templum, & universa domus Jerusalem, non id tamen sic accipiendum est, quasi ne Templi quidem parietina, ne tugurium quidem, aut pergula incendio exempta sit. Demus tamen tantam fuisse ignium vim, aut Chaldaeorum furorem, ut viles etiam attegias consumserit; num credibile est per annos quinque, qui effluerunt ab Hierosolymitana clade, ad id tempus quo liber Baruchi in Judæam missus est, vinitores illos & agricolas, quos ad excolendam terram incolumes Nabuzardan reliquerat, loci commoditate invitatos, in ipsis Urbis ruinis mappalia & inconditas casas non excitasse? & in vicinia habitantes incolas, religionis avitæ memores, Sacerdotes etiam ipsos & Levitas, statis festivitatum diebus inter Templi rudera Deum numquam fuisse veneratos, & ad aram aliquam tumultuario opere structam, & terream fortasse, cujusmodi sibi fieri Deus Mosi mandavit vicefimo Exodi capite? Huc accedit præterea, quod sacra quaedam Templi vasa rapacitati Chaldaeorum à Judæis fuerunt subducta, ut ostendit supposititia Baruchi Epistola, quam habent Syri; quemadmodum Tabernaculum, & Arca, & Altare incensi, à Jeremia servata sunt: quæ vasa deinde ad sacrificiorum usus adhiberi potuerunt.

Erod. 20. 24.  
15.  
Bar. Epist. Syr.  
cap. 1.



DE EPISTOLA JEREMIAE.

I. *Disputatur de Auctore Epistola, quæ sub Jeremia nomine edita est. Jeremia ipsi adscribitur.* II. *Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.* III. *Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.* IV. *Secundum argumentum.* V. *Tertium argumentum.*

*Disputatur de Auctore Epistola, quæ sub Jeremia nomine edita est. Jeremia ipsi adscribitur.*  
Hilar. Prolog. Explan. in Psalms.

I. **Q**UOD quinque prioribus Baruchi capitibus subjiçti solet in Editione vulgata sextum & postremum caput, Jeremiae illud Epistola est, à Baruchi libro non minus distincta ac sejuncta, ac à Threnis liber Baruchi sejungitur. Itaque in Editionibus quibusdam Senum Septuaginta subnexa est Threnis ipsis, & in Arabica, quæ ex Septuaginta Senum Interpretatione expressa est. Unde Hilarius ait vaticinia Jeremiae cum Threnis & Epistola, unum constituere Librum, ex viginti illis duobus, quibus totus sacrorum Voluminum Canon constat. Peccant ergo qui à Baruchò ipso adtextam libro suo arbitrantur. Scripta est statim post dirutam Hierosolymam, ad commonefaciendos Judæos, qui in Babyloniam jamjam erant deportandi, ne ad impium idolorum cultum, cui impense dedita erat Chaldaea gens, malo exemplo raperentur. Aliam ad eisdem epistolam misit Jeremias, cum jam in Babyloniam pervenissent. Atque hæc, licet posterior tempore, priorem tamen occupat locum, utpote quæ vicefimo nono Jeremiae capite habeatur. Cæterum auctorem indicat Jeremiam lemma ipsum ac materies operis, tum & ii ad quos scripta est, & scriptionis tempus: & decimum præterea prædictionum ipsius caput, quod in eodem versatur argumento, & sententias habet ejusdem λόγιματος, magnam ostendit germanitatem.

*Probatur ejus γνησιότης & antiquitas.*  
2. Mach. 2. 1, 2.

II. Agnovit Epistolæ hujus γνησιότητα Machabaici secundi scriptor, & luculenta testificatione confirmavit. Sic enim ille secundo capite: *Invenitur autem in Descriptionibus Jeremiae Prophetae, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant; ut significatum est, & ut mandavit transmigratis. Et dedit illis Legem, ne obliviscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus, videntes simulacra aurea, & argentea, & ornamenta eorum.* Quæ hanc, de qua differimus, Jeremiae Epistolam clarissime significant. Nec ea enim aliud sibi proponit Jeremias, quam ut idolorum ostendat vanitatem, ab eorumque cultu populares suos salubri consilio deterreat.

*Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.*  
Hier. Proem. Comm. in Jer. Cyprian. De orat. Domin. Hilar. Prolog.

III. Quæ quanquam ita sunt, eam tamen Ἰερουσαλιμικὴν appellat Hieronymus, proptereaque nec explanationibus suis dignatus est. At Hieronymo Cyprianum opponimus & Hilarium, qui Jeremiae prædictiones, Lamentationes, & Epistolam, unum e Canonicis libris efficere docet. Cujus rei ignari plerique Epistolam, vel propter exiguitatem suam facile delitescerentem, inter Canonica scripta non posuerunt. Hinc quoque contigisse puto, ut librorum Ebraicos Codices describentium diligentiam fugerit. Quamobrem Hieronymus Ebraico Baruchi exemplari desiderato, cum eam præterea Baruchi libro, qui Græce solum descriptus exbat, ideoque sibi